



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXVIII. De Officio Vicarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

106. Ceterum, sicut Jure spectato Sacrista, sic & Custodis, illò inferioris, officium nec dignitas nec beneficium Ecclesiasticum, sed tantum ministerium est,

Barbosa *cit. num. 8.* ita ex Consuetudine Ecclesie, in quibus Custos idem qui Sacrista est, illius in dignitate constitutus non minuit dignitatem.



# TITVLVS XXVIII.

## De Officio Vicarii.

**A**ctenus Ecclesie proprio: deinceps alieno nomine ei deferentium munera: & imprimis quidem celeberrimum Vicarii Episcopi (& sede vacante Capituli) Generalis Officium est declarandum.

### ARTICVLVS I.

#### De Vicario in Divinis, Perpetuo & Temporaneo.

#### SUMMARIUM.

1. Vicarius quis?
2. Alius Natus, alius Datus?
3. Alius in Divinis, & alius Jurisdictionis est.
4. In Divinis Perpetuus Vicarius Canonicus.
5. Ab Ordinario instituitur, previo examine.
6. Ad presentationem principalis Rectoris cum consensu Patroni.
7. Institutus Parocho equiparatur quoad administrationem & alia jura.

8. Quoad qualitates & condiciones in illo requisitas.
9. Stabilitatem & vacationis inductionem.
10. Administrationem totam habet principali presente.
11. Et retinente curam tantum habitabilem.
12. Nominandi & fructus percipiendi jura conservantem.
13. Vicarius Temporaneus ex variis causis.
14. Ad breve à Parocho liberè.
15. Ad longum tempus cum consensu Ordinarii constituitur.
16. Et removeri ad nutum potest.
17. Vicarius, si Perpetuus ad breve tempus Vicarium sibi substituere.
18. Si Temporaneus est, cooperatorem solum assumere potest.
19. Nisi consuetudo Vicarii constituendi jus ipsi concedat.

**V**icarius in genere, ut ipsa nominis, à vocabulo *Vice*, derivatio indicat, est, qui vices gerit alterius, mortui, absentis, vel quò minus muneri aut rebus suis interesse aut superesse ipsemet possit, aliter

Cc cc 3

impediti, *l. Vicarius 3. ff. de Legationibus*, Vallens. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 1.* & Barbofa *ad eandem n. 3.* estque vel Natus sive legitimus, cui Vicariatus à Canone vel Lege ita competit, ut administrationem vel jurisdictionem Ordinariam, propriam & diversam à principali, ei tamen, cujus vices gerit, subordinatam habeat: cujusmodi Episcopi Vicarii sunt Archidiaconus & Archipresbyter, *cc. 1. de Offio. Archidiacon. & Archipresb.* vel Datus, qui vicariatum ab homine sive superiore, eum sibi vel alteri substituente, habet: qui prout, vel in celebratione Missarum, Sacramentorum administratione & similibus, vel in jurisdictionis contentiosæ, in eodem vel diverso tribunali, exercitio, ut Vicarius Episcopi generalis & iudices delegati &c. alienas vices gerit: vel in Divinis, vel Jurisdictionis &c. Vicarius appellatur à Glossa & Panormit. *ad hanc Rubr.*

3. Vicarius in Divinis vel, ut etiam vocatur, in Beneficiis, alius est Perpetuus, *c. fin. hic, c. Extirpanda 30. §. Qui verò de Prabend.* Et alius Temporalis, *c. Pervenit. 28. de Appellat. Panormit. in s. Extirpanda 30. cit. n. 5. & Barbofa Jur. Eccles. Lib. 3. cap. 5. n. 2.*

4. Perpetuus est, qui in aliqua Ecclesia, assignatà ex annuis ejus proventibus debita portione ad congruam sustentationem, legitimam sive Ordinariam auctoritate canonicè instituitur, ut ad libitum & extra casus à Jure expressos nequeat amoveri, Glossa *in c. fin. cit. V. Perpetuos*, Panorm. *ibid. n. 1.* & Laiman *Lib. 4. Tract. 2. cap. 5. n. 8.* & Barbofa *cit. n. 2.* Cujusmodi Vicarii

In primis institui, quantumvis etiam in aliis possint, ferè tamen solent in Ecclesiis solum Parochialibus, quando ista alteri Ecclesiæ, dignitati, beneficio, Universitati, collegio, hospitali vel loco pio

annexa & unita reperitur, *§. Qui verò cit.* & valde frequenter, quando Parochia secularis unita est Monasterio; cum tamen ejusmodi Parochia administrari nequeat per monachos, *c. Cum de beneficio 3. de Prabend. in 6. & c. Super eo 9. de Regular.* ad istorum præsentationem seculares clerici in iis instituuntur, *c. De monachis 11. de Prabend. & c. 1. de Capell. Monach. ubi Panormit. & Barbofa, uterque n. 1.* Aliquando etiam, cum parochia redditibus abundans valde numerosum & distantem populum habet, pro iis, qui ad ista loci juncti aut valde remoti sunt, constituitur capella, eique Vicarius perpetuus, assignatà de proventibus parochialibus congruà portione, præficitur, *c. Ad obedientiam 3. de Eccles. adif. Gonzalez. Veniens 2. n. 6.*

Deinde institui debent auctoritate Episcopi, *c. Ad hac 3. prævio examine & quidem juxta formam, à Tridentina præscriptam Sess. 24. cap. 18. de Reform. ut aliqui volunt apud Garciam de Benef. p. 9. cap. 2. n. 289.* etsi cum ipso n. 149. & Gonzalez *ad Reg. 8. Gloss. 5. §. 4. n. 10.* hoc melius neget Barbofa *de Officio Episcopi alleg. 60. n. 31.* Ratio autem Episcopalem auctoritatem ad eorum institutionem exigendi est; quia ejusmodi vicariatus eò ipsò; quòd canonicè & in titulum perpetuum conferantur, annumerantur beneficiis ecclesiasticis, *c. Postulasti 27. de Rescript. ubi Innocentius III. Non enim inquit, carere beneficio debet dei, cui competenter de proventibus Vicaria perpetua est provisum: in beneficiis autem institutio de Jure ad Episcopum spectat, c. Ex frequentibus 3. de Instit. & c. Cum ex injuncto 12. in fine de Hæreticis, Glossa in Reg. 1. V. Beneficium in 6.* Eiusdem Episcopi arbitrio assignanda vicario est portio ex fructibus beneficii pro congrua sustentatione, quæ plerumque tertia aut major

major, vel etiam, non tamen quinquaginta scutis annuatim persolvendis, minor est, c. *Adhac cit. Trident. Sess. 7. cap. 7. de Reformat. & Pii V. Constit. quæ incipit Ad exequendum* edita calend. Novemb. 1567. Pillegrius *Prax. Vicar. p. 1. f. 8. n. 6.* De portione ista ex instituto agatur *Lib. 3. tit. 48. art. 2. toto.* Hòc locò

Dubium movetur, an prævium examen etiam requiratur in institutione Vicarii perpetui capellæ vel Ecclesiæ parochialis, per unionem incorporatæ Ecclesiæ vel monasterio exempto. Quod rectè affirmant *cit. Barbosa alleg. 6. n. 47. id à S. Congreg. Cardd. Interpp. declaratum asserens, & Eminentiss. de Luca Theat. V. & J. ad Trident. disc. 37. n. 35.* Ratio est; quia, licet Episcopalis jurisdicção non afficiat talem Ecclesiam vel monasterium, imò & capellam vel Ecclesiam parochialem materialem, in qua cura animarum exercetur, afficit tamen Vicarium, qui in tali capella vel Ecclesia curam illam ex officio exercet, & populum, in quem ea exercetur, si capella vel Ecclesia plenissimò jure exempta non sit, non exemptos; atque idcirco rationi congruit; ut Episcopus tanquam Pastor ovium principalis inquirat, an clericus seu vicarius, ad illam præsentatus vel nominatus, sit idoneus minister, cui illas pascendi cura committitur possit. Ex qua ratione *DD. cit.* rectè inferunt, hujusmodi vicarium canonicè jam institutum visitari & corrigi ab Episcopo posse in iis, quæ ipsius munus & animarum curam concernunt; cum eadem ratio, quæ inquisitionè in idoneitate vicarii præsentati vel nominati institutioni præmitti, etiam in institutus gregis sibi commissi debitam curam gerat, inquiri oportere, dicitur, Laiman *de Elect. Pralat. q. 208. resp. 2.*

Demum, hujusmodi sive Perpetui Vi-

carii instituendi sunt, non liberè, sed ad præsentationem seu nominationem Rectoris principalis, qui parochiam suæ Ecclesiæ, dignitati, monasterio &c. unitam habet, ut desumitur ex c. *Ad audientiam cit. Glossa ibi V. Rectoris & à S. Congreg. declaratum, refert Garcias cit. cap. 2. n. 294.* Ad nominationem tamen ejusmodi Rectoris probabiliùs accedere debet consensus patroni, qui vicariæ perpetuæ Ecclesiam fundavit, construxit vel dotavit, ut cum Glossa *cit. tradit Sylvester V. Vicarius q. 2. dicto 3. & Laiman in c. Adhac cit. n. 3.* cum enim, Ecclesiæ factâ unionè, fundatori ejusque successoribus præjudicetur, æquum omnino est, ut in nominatione vicarii ipsius etiam consensus requiratur: nisi Ecclesia, ipsò consentiente, unita esset beneficio electivo, v.g. Prælaturæ; quia tali unionè jus præsentandi remissum & per unionem extinctum censetur, Laiman *l. cit.* Unde

Dubiù nascitur, an patroni consensus exposcat præsentatio Vicarii ad capellam sive Ecclesiam filialem, propter parochiæ amplitudinem aliãve similem causam, constitutam, & Ecclesiæ parochiali tanquam matrici subiectam; id eam negat Glossa *in c. Adhac cit. V. Episcopi;* & contra affirmat Glossa *in c. Ad audientiam 3. V. Rectoris de Eccles. adif.* quarum pugnantes sensus in concordiam reducendi sunt beneficiò distinctionis; vel enim hujusmodi capella erecta ac dotata fuit ex proventibus, detractis ab Ecclesia parochiali ac matrice, vel aliunde in capellam collatis? Si prius, patroni quoque ipsius Ecclesiæ matriçis consensus, vel potiùs simultaneam ejus & Rectoris præsentationem vel nominationem requiri, cum Glossa *V. Rectoris cit. Zabarella in Clem. mic. hic & Sylvestro cit. q. 2. d. 3.* merito exigit Laiman *in c. cit. n. 4.* cum; quia in capellæ erectionem ac dotationem colati &

lari & Ecclesie matrici detracti proven-  
tus, licet immediatè ab Ecclesia ista, me-  
diatè tamen saltem ab ipso ejusve majo-  
ribus, Ecclesie matricis fundatoribus, pro-  
veniunt: tum verò; quia partis proven-  
tuum detractio & translatione in capel-  
lam ipsius juri patronatus obnoxia ma-  
tricis Ecclesie beneficium minus estimabile  
redditum est. Si posterius, quò tito-  
lo patroni consensus ad Vicarii præsen-  
tationem necessarius sit, non apparet. An  
autem posteriori hòc casu præsentatio  
Ecclesie matricis Rectori competat, di-  
cetur ad Rubr. de Eccles. adif. n. 19.

7. Porro Vicarius Perpetuus, in Eccle-  
sia parochiali cum congrua portione cano-  
nicè institutus, in ea jus reale & verum  
titulum acquirit; ut æquiparetur paro-  
cho: & quæ de isto Jure statuta sunt, in  
ipso habeant locum & observanda sint,  
secundùm *Clement. unicam* Glossam in *c.*  
*Postulasti cit. V. Beneficium*, Gonzalez *cit.*  
*§. 3. num. 21.* Garciam *cit. cap. 2. n. 286.*  
Barbosam in *Rubric. hic n. 15.* & Fagna-  
num in *c. Ex parte 7. à n. 21.* Sic enim  
primò ipsi competit tota actualis potestas  
Parochialis & animarum cura, per Sacra-  
mentorum aliorumque Divinorum ad-  
ministracionem ex officio exercenda, Tu-  
schus *Prætic. V. Vicarius conclus. 196. n.*  
*3.* Fagnanus in *c. fin. n. 7.* ideòque Cura-  
tus & animarum pastor vocatur, teste eo-  
dem in *c. Ex parte 8. de Cleric. non resid.*  
*num. 67.*

Secundò, sicut alius parochus, *c.*  
*Cum contingat. 29. c. Cum in tua 30. Sc.*  
*de Decimis & c. Ad decimas 2. de Restit.*  
*spoliat. in 6.* sic etiam ipse Jure commu-  
ni fundatam habet intentionem super  
perceptione decimarum & aliorum ju-  
rium parochialium, pro assignata sibi  
congrua portione: & ubi nullus Rector  
adest, vel unio non apparet, quoad om-  
nes decimas & alia ejusmodi jura, ex de-

ciis, Rotæ à *citt. Gonzalez n. 26.* Garcia  
*n. 229.* & Barbofa *Jur. Eccles. lib. 3. cap.*  
*6. n. 39.* allegatis.

Tertiò, idem ipsi honor, locus & alia  
parochorum prærogativæ debentur, *arg.*  
*can. fin. dist. 90.* Gonzalez *cit. §. 3. n. 21.*

Quartò, sicut verus parochus, *c. La-*  
*cet. 14. de Elef. in 6.* sic etiam vicarius  
perpetuus, intra annum ab accepta paci-  
fica vicariæ possessione, sacrum præben-  
teratùs Ordinem sub illius amittenda po-  
riculo suscipere: & sicut ille, *c. Quamvis*  
*nulli 2. de Cleric. non resid.* sic etiam ipse  
in Ecclesia sua personaliter residere so-  
let, *Clement. cit.* junctâ Glossa *V. Sacro-*  
*dorium* Panormit. in *Clem. cit. n. 4.* &  
Fagnanus, declarat. Card. allegatis in *c.*  
*fin. cit. n. 2.*

Quintò, sicut parochiam, *c. Cum*  
*cunctis 7. §. Inferiora de Elef. sic & vicari-*  
*am* perpetuam consequi nemo potest  
ante annum ætatis vigesimum quintum,  
saltem inchoatum, text. & Glossa *Clement.*  
*cit. V. Ætate:* & sicut alterius beneficii  
parochialis, *c. De multa 28. de Prebend.*  
sic etiam talis vicariæ, pacificè & irrevo-  
cabilè possessione obtentâ, ipso Jure amittitur  
Vicaria aut aliud beneficium con-  
stitutum, quod priùs obtinebatur; cum per-  
sonalem residentiam utrumque requirit,  
*c. 1. c. Provideas 2. & Clement. n. cit.*  
Glossa *ibi V. Admittendus & Barbofa in*  
*citt. cc. 1. & 2.* utrobique *n. 2.*

Sextò, sicut in parochia & alio bene-  
ficio Ecclesiastico, *arg. can. Sanctorum 2.*  
& *arg.* à contrariò *Clement. unicam. ibi.*  
*Libere possint ad claustrum revocari, de*  
*Suppl. neglig.* sic etiam in hujusmodi vi-  
caria canonicè institutis ab Ecclesia sua  
liberè, hoc est, sine culpa vel alia iusta &  
Jure expressa causa, removeri non potest,  
*c. Ad hoc cit.* etiam mortuò, aut dignita-  
tem vel beneficium suum, cui illa unita  
est, amittente vel dimitte Rectoris  
principa-

principali, Panormit. *inc. cit. n. 1.* Gonzalez *cit. §. 3. n. 22.* Barbosa *in c. cit. n. 3.* & alii DD. passim.

Septimò, sicut parochò, Ecclesiæ ipsius parochialis: sic vicariò perpetuò mortuò, renuntiante, privato &c. Vicaria vacat, hòc ipsò; quòd, sicut in Ecclesia illa parochus, sic ipse in Vicaria jus reale verumque ejus titulum obtinuerit, Lotterius *Lib. 3. de Benef. q. 33. n. 112.* Gonzalez *ad Reg. 8. Gloss. §. 3. n. 20.* & Corradus *Lib. 3. Prax. Benefic. cap. 9. n. 11. Vicaria*, inquam, non Ecclesia vel capella; cum enim istius titulum, dignitatis suæ titulo accessorium, obtineat prælatus Ecclesiæ vel monasterii, cui illa per unionem est in corporata, Vicarii obitu, renuntiatione, privatione, ipsius capellæ vel Ecclesiæ vacatio non inducitur, Glossa *in c. Ad hac cit. V. Removere & ibi Panormit. n. 2.*

10. Dubium de hujusmodi vicario est, an parochiæ administratio in Divinis ipsi competat, Rectore principali præsentate. Ratio dubitandi est; quòd ille vices gerat istius: cujus proinde præsentia vicarii potestatem saltem minuere, si non omnino tollere, videtur. Verùm hoc locum non habet in Vicario, qui per institutionem Episcopi verum titulum & jus reale in Vicaria est assecutus, ut de perpetuo est dictum. Unde, hòc invitò, parochianis Sacramenta aliæque Divina ministrare Rector principalis nec debet nec potest, ut cum Panormit. *in §. Qui verò cit. n. 15.* & Anchorano *in c. Exposuisti 33. de Præbend. n. 6.* docent Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 6. q. 2. in fine* Laiman *in c. Ad hac cit. n. 3.* & Rotæ decif. firmat

11. Barbosa *cit. cap. 6. n. 31.* Ratio est; quia in animarum curam se ingerere ex officio & munere proprio in Ecclesia aliqua nemo potest, nisi habeat titulum, illius curæ exercitium in Ecclesia illa respicientem,

Felinus *in c. Postulasti cit. n. 1.* talem autem titulum habet solus vicarius in Ecclesiæ vicaria, curæ animarum exercitium respiciente, canonicè institutus: non etiam Rector principalis; cum iste principaliter in prælatura vel dignitate, accessorie autem & in consequentiam tantum in Ecclesia illi unita institutus sit, institutione, non animarum curæ per Sacramentorum administrationem exercitium, sed alias prærogativas respiciente & conferente; atque idcirco parochus seu Curatus in habitu duntaxat, non in actu sit: neque in ipso exigantur conditiones & qualitates requisitæ in parochia seu curato actuali: sed eæ duntaxat, quas exigit dignitas vel beneficium, cui parochia ita est unita. Unde Canonicum, qui beneficium suo unitam habet Ecclesiam parochialem, neque vigesimum quintum annum attigisse, neque intra annum Sacerdotiò initiari, neque scientiam in parochia requisitam habere &c. teneri, docent & à S. Congreg. declaratum asserunt Laudati Garcias *p. 3. cap. 2. n. 179.* & Barbosa *in c. fm. n. 15.*

Neque ita, ut videri potest, penes 12. principalem residens cura habitualis frustranea est; quia, quantumvis non tribuat exercitium juris Parochialis in pertinentibus ad curam animarum, ei tamen asfert aut conservat nominandi Vicarium, & redditus parochiales, fere quoad potiorem partem, percipiendi jura: propter quæ parochia Rectoris principalis potius quam vicarii dicitur esse, Zabarella *in cit. Clement. quasi. 10.* & Laiman *in c. fm. cit. n. 2.* Quin ipsa quoque cura habitualis, penes Rectorem principalem residens, in actum prodire & exerceri potest tempore Vacationis Vicariæ, per obitum, renuntiationem, privationem Vicarii inductæ; cum, eò tempore, donec ab ipso præsentatus vel nominatus novus Vicarius ca-

Dd dd riuſ ca-

rius canonicè institutus sit, curam actualè, & Sacramentorū aliorūque Divinorum administrationē per seipsum vel deputandum à se Vicarium temporalem exercendam Rectori principali adstruat Laiman de Elect. Pralat. q. 208. in fine.

13. Temporaneus Vicarius est, qui ad gerendas in Ecclesia vices alienas cum congrua portione solummodo ad tempus aut constituentis voluntatem deputatur, cit. Gonzalez §. 3. n. 12. & Barbosa cap. 6. n. 50. cujusmodi Vicarii constitui solent Inprimis, quando Ecclesia per Rectoris obitum, renuntiationem, privationem vacat; tali enim casu ei, donec de Rectore provideatur, Vicarius dandus est, ex decreto Trident. Sess. 24. cap. 18. pr. de Reformat. Deinde, quando in ea institutus Rector Ecclesiam vel beneficium administrare per se ipsum non potest, propter defectum legitimæ ætatis, c. Ex ratione 2. de Ætat. infirmitatem, arg. c. De Rectoribus 3. de Cleric. egrot. conacionem ad populum habendam, arg. c. Quod Dei §. de Statu monach. vel negotia & occupationes alias, præsertim necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ causâ susceptas, arg. c. Adhuc 7. de Offic. Archidiacon. vel diversitatem idiomatis in plebe, c. Quoniam 14. de Officio Ordin. vel propter justam & ab Ordinario approbatam absentiam v.g. causâ studiorum, c. Relatum 4. de Cleric. non resid. & c. Cum ex eo 34. §. Porrò de Elect. in 6. vel peregrinationis ad pia & religiosa loca, præsertim ad terram Sanctam, c. fin. de Voto. Et demum, quando Rector ex dispensatione simul obtinet duas Ecclesias parochiales vel alia beneficia curata, can. Et temporis 26. q. 1. aut Religionem ingressus in probatione versatur, arg. c. De monachis 12. de Præbend. aut cum substitutò vicariò, Divini cultûs incrementum speratur, can. Illud & can. seq. 7. q. 1.

Gonzalez à cit. n. 12. Azor cit. p. 2. lib. 3. cap. 6. q. 3. & Barbosa cap. 6. n. 50.

Ex hujusmodi autem causa vel impedimento aliquo, cum officio suo fungere non valet Parochus, etsi ad breve vicarius vel duarum aut etiam trium beneficiarum tempus, can. Si quis in clerico 7. q. 1. Vicarium, ex Sacerdotibus ab Ordinario approbatis, constituere, etque parochiale officium committere propria auctoritate queat, Panormit. in §. Quæritur cit. n. 12. & Joan. Andr. in c. Quæritur eo cit. n. 2. ad longum tamen aliquot mensium tempus vicarium sibi substituere volenti consensu ordinarij opus esse non obscurè insinuat Tridentinum, cum Sess. 23. cap. 1. V. Eadem omnia de Benef. decernit, Parochos à suis Ecclesiis abesse non posse, nisi per duos vel tres menses de licentia & relicto Vicariò ab ipso Episcopo deputandò; hoc enim decretum Synodus Parochos ad longum v.g. decem mensium tempus sibi Vicarium substituendi facultatem competere, clarè negat Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 31. n. 11. Eiusdem Ordinarij est, parochò defuncto, ejus Ecclesiæ administrationem & animarum curam idoneo vicario committere, donec ei de proprio Rectore provideatur, ex ejusdem S. Concilij decreto Sess. 24. cap. 18. de Ref. Barbosa cit. cap. 6. n. 50.

Dico, Parochò; quia defuncto Vicariò perpetuò Vicarium temporalem deputare pertinet ad prælatum Ecclesiæ vel monasterij, cui beneficium parochiale est unitum; à quo tamen deputandum pro exercenda animarum cura ab Episcopo diocesis Ordinario esse approbatum vel prævio examine approbari, est necesse, cit. Gonzalez §. 3. n. 35. Garcias cap. 2. n. 93. & Barbosa Lib. 3. Jur. Eccl. cap. 6. n. 63. in hanc rem allegantes Rote decisionem.

Vicarius autem ita ab hujusmodi præ-

lato, parochō, vel ipso Episcopo deputatus aut ad tempus substitutus, licet quod parochia ei in titulum non conferatur, ad nutum amovibilis, ac proinde beneficiarius non sit, ut cum Rebuffo *Tit. de Nominat. quest. 14. n. 62.* notat idem Barbosa *n. 58.* curam tamen aliasque functiones parochiales omnes exercet instar ipsius parochi; quod ad Ecclesiam tedeunte vel, si ab ipso constitutus est, mortuo, ipsius officium ferē cessat, Vallens. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 4.*

17. Dubium hic movetur, an vicarium sibi substituere etiam Vicarius possit. Non quidem Perpetuum, *c. Clericos 4.* cum enim talem sibi substituere nequeat parochus ordinarius, penes quem est cura tam habitualis quam actualis, hōc ipsō; quod extra casus Jure permisos Ecclesiae deservire teneatur per se ipsum, *§. Qui verō cit. ipse quoque* autoritate Episcopi op<sup>o</sup> habet, si Vicarij jus in alium transferre velit, *arg. c. Admonet. 4. de Renunt.* Sanchez *cit. n. 1.* sed Temporalem: circa cujus constitutionem non eadem perpetui & temporalis vicarii est potestas: illum enim, si à parochia, cujus Vicarius est, ad breve v.g. duorum aut etiam trium hebdomadarum tempus absit, Vicarium sibi substituere non prohiberi, in *c. Clericos cit.* docent Ant. de Butrio *in fine* & Laiman *n. 1.* quod, juxta dicta, æquiparetur vero parochō, & curam atque administrationem ordinariam non minus quam iste obtineat, Innocent. *in c. Tua 5.* ac proinde, quoad vicarii substitutionem, non minus ipsi quam isti sit permiffum. Si verò præfens muneri suo supereffe ob infirmitatem per se ipsum non valeat, ad longius duorum saltem mensium tempus Vicarium sibi substituendi potestatem ei adfruit *cit. Laiman n. 1. in fine* & cum eo Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 18.*

18. Iste verò, sive Vicarius solum tern-

poraneus, etsi tanquam delegatus ad universitatem causarum, quando functionibus peragendis solus non sufficit, cooperatorem assumere, eique unam vel alteram causam seu partem jurisdictionis subdelegare non prohibeatur, *arg. l. & §. 1. ff. Quis & à quo appell. de Jure tamen Vicarium etiam ad breve tempus substituere, eique totam suam jurisdictionem committere non potest.* Ita cum S. Thoma *Quod lib. 12. art. 33.* & Sylvestro *V. Vicarius quest. 5. cit.* Sanchez *num. 15.*

*De Jure*, inquam; quia vi consuetudinis vicarios etiam temporales tantum, ob infirmitatis vel aliam causam officio suo fungi non valentes, istud ad breve tempus, aliis demandare posse & passim consuevisse, testis est Adrianus *quest. 5. de Confess. dub. 2.* Rationem, cur vi consuetudinis possint, Sylvester & Sanchez *l. cit.* in tacitam licentiam refundunt; hōc ipsō enim; quod Episcopi hujusmodi consuetudinem sciant, eique non contradicant, in Vicecuratos sive Vicarios temporales in parochiis institutos, tacite consentire præsumuntur, & ejusmodi substitutionem approbare.

## ARTICULUS II.

### De Vicario Jurisdictionis Episcopalis Generali.

#### SUMMARIUM.

20. *Iste vel diversam ab Episcopo constituitur:*
21. *Vel eandem cum ipso jurisdictionem habet,*
22. *Ut Vicarius generalis respectu totius Diocesis.*  
*D d d d 2 Vicarius*



23. Vicarium constituere Episcopus, si officio solus par non sit,  
 24. Unum vel etiam plures debet.  
 25. Ex pluribus negotium, Vicario simpliciter delegatum, principalior:  
 26. Si pares sunt, cui litera prius presentantur, expedit;  
 27. Nisi reus his conventus contradicat.  
 28. Vicarius debet esse clericus,  
 29. Et SS. Canonum saltem peritus.  
 30. Constitutus est in dignitate,  
 31. Et jurisdictionem Ordinariam obtinet,  
 32. Etiam respectu causarum specialium inferarum mandato generali,  
 33. Quae eadem est cum Episcopali,  
 34. Et à Canone habetur.  
 35. Differentia inter Vicarium Generalem & Foraneum,

20. **V**icarii jurisdictionis Contentiosae Dati, sive ab homine constituti, duplicis generis sunt; quidam enim jurisdictionem à constituyente diversam, ei tamen subordinatam habent, ut sunt iudices ad universitatem causarum ab Episcopo delegati, & Vicarius, qui dicitur Foraneus, cujus jurisdictione ad certam partem vel districtum, extra civitatem Episcopalem, se extendit, Glossa in *Clement. 2. V. Foraneus, de Rescriptis*, uti etiam cujus jurisdictione se extenderet ad totam quidem, sed solam civitatem Episcopalem. Alii verò eandem cum illo, licet aliò modò & ab eo dependenter exercendam, jurisdictionem habent, ut Vicarius generalis Episcopi sive, ut *e. fm. in 6.* ad eumque ultra montes directis literis vocari solet, ejus Officialis, Laiman in *e. 1. in 6. n. 1. 4. & 6.*  
 21. Porro Vicarius iste, si simpliciter, tam in temporalibus, quam spiritualibus

Episcopi vices gerit: si verò secundum quid tantum generalis est: vel ejus vices gerit in solis temporalibus? & tunc etiam laicus esse potest, Hostiens. in *e. Decernimus 2. de Judiciis Panormit. ibid. n. 13.* & Sbrozium de *Vicar. Episc. lib. 1. q. 31. n. 11.* vel in solis spiritualibus, ut qui Vicarius Generalis, aliquando cum addito, in *Spiritualibus*, aliquando absolute, vocari solet, & jurisdictionem in his ad totam diocesim se extendentem habet? & tunc non nisi clericus esse potest, Decernimus *cit. c. Tuam 3. de Ord. g. n. 12. de Sent. Excommunicat. in 6. cit. Panorm. n. 12.* & illius latis Sbrozium *q. cit. n. 5.*

Neque obstat; quod in aliquibus diocesis certum genus causarum, matrimonialium aut decimarum committatur alteri, qui etiam vocari solet Officialis; quia nihilominus non illi, sed is, de quo antè dictum est, Episcopi Vicarius generalis est: ad eum solum destinantur literae Apostolicae, quae destinantur Officiali, ut ex *Clement. 2. in 6. cit. Glossa V. Principalis de Rescriptis*, colligitur, & cum Garcia de *Benef. p. 1. cap. 8. n. 122.* tradit Laiman *cit. n. 4.* Atque hujusmodi Vicarium generalem constituere & amovere Episcopus solus, Capituli consensu, imò etiam consilio non requisito, potest, ut cum Panormit. in *c. Tua 5. n. 4.* & Sbrozium *cit. lib. 1. q. 54.* docet Azor p. 2. *Instit. lib. 3. cap. 6. q. 14.* & firmat recepta de generalis Consuetudo.

An autem eum constituere tentetur, dubium est, expediendum ope distinctionis; vel enim Episcopus, propter singularem industriam facilitatèque in negotiis expediendis, & angustis limitibus conclusae diocesis parvitatem, solus sufficit implendo muneri Episcopali? & Vicarium constituere, eique suae jurisdictionis

tionis exercitium committere eum non teneri, recte tenent & Rotæ decisionibus firmant Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 54. n. 125.* & Pillegrinus *de Vicar. Episc. p. 1. s. 2. subf. 5. n. 5.* Vel, ut plerumque contingit, illi implendo solus non sufficit? & tum ad Vicarij constitutionem omnino tenetur, ad eumque constituendum terminum præfigere: imò hoc lapso Vicarium constituere poterit Archiepiscopus, secundum Panormit. *in c. Quoniam 14. de Offic. Ordin. n. 3.* & Sbrozium *l. cit. quest. 26. à n. 2.* & alios; vel, si Episcopus illi subiectus non sit, Vicarius (sed ab Episcopo non amovibilis, ut à S. Congreg. Episc. sæpius declaratum est) à sede Apostolica constituitur, teste Pillegrino *cit. Subf. 5. n. 9.* ubi, huiusmodi Vicarij Apostolici munere se functum, affirmat.

Sicut Episcopus plenâ, sic vacante Sede Capitulum Cathedralè, intra octo dies à notitia vacationis, Vicarium generalem constituere vel existentem confirmare tenetur, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Seff. 24. cap. 16. declarando à n. 55.*

24. Dubium secundo aliqui movent, an Episcopus, & Sede vacante Capitulum, constituere possit huiusmodi Vicarios duos vel plures. Cujus mihi quidem indubitata resolutio est, posse non tantum, si Episcopus ex dispensatione plures obtineat Episcopatus; hoc enim casu cuique Vicarium generalem proprium designandum, à S. Congreg. Episc. declaratum perhibet *cit. Pillegrinus n. 13.* sed etiam, si unius tantum diocesis Episcopus sit, & ita; ut occurrentes causæ & negotia ab huiusmodi vg. duobus Vicariis simul, vel à singulis vg. ab eo, qui prævenerit, decidi & expediri possint, ut de Episcopo, cum Glossa *in Clement. 2. V. Principalis de Rescript. &*

Panormit. *in c. Prudentiam 21. de Offic. deleg. n. 21.* Maranta *de Ord. Judic. p. 4. dist. 5. princip. n. 8.* de Capitulo cum Franc. de Pavinis *de Potest. Capit. sede vac. p. 2. quest. 10. n. 6.* docet Palao asserens, id præficari à se observatum in pluribus Ecclesiis, etiam in quibus sede plenâ Vicarius unus tantum fuit, *Tract. 13. dist. 2. p. 29. n. 2.* & de utroque Garcias *de Benef. p. 5. cap. 7. n. 36.* & *cit. Sbroz. q. 50. n. 3. & 4.* Ratio est; quia ex una, plures constitui Jure nullò prohibentur: ex altera verò parte, occurrentes causæ & negotia à pluribus faciliùs, quàm ab uno tantum expediuntur, *c. Prudentiam cit. pr. V. illa.* Quò tamen casu Inprimis necessarium est, ut uterque constituatur in civitate vel loco sedis Episcopalis; cum generalis Vicarius ille dicatur, qui cum potestate & jurisdictione generali constitutus est in loco, ubi Episcopus sedem habet, ex recepta doctrina Bartoli *in l. 1. in fine ff. Quis & à quo appell. & Marantæ cit. dist. 5. n. 8.*

Deinde, si ex duobus Vicariis unus principalior sit, Vicario vel Officiali simpliciter facta à Papa delegatio, illi solè facta censetur, ut desumitur ex *Clement. illiusque Glossa cit.* Si verò æquales, itaque constituti sint, ut occurrentes causæ & negotia à singulis solis decidi & expediri possint, literas Apostolicas, quibus Vicarius generalis vel Officialis simpliciter delegatus constituitur, propter personarum incertitudinem vitari, aliqui desumunt ex *c. Adhuc 10. de Rescript.* Verùm hoc textu ea solùm rescripta irritantur, quibus iudex incertus ex incertis, non ut nobis propositò casu, ex certis personis delegatur, ut notat Berroius *in c. Quoniam 14. de Offic. deleg. n. 76.* Quare nostrò hoc casu distinguendum est inter delegationis rescriptas; si enim ista Gratia vg. dispensationis faciendæ,

D d d 3

- ciendæ, vel Justitiæ quidem, v.g. quibus causæ inter partes controversæ cognitio committitur, & in eum cui rescriptum præsentatur, adversa pars consentiat, vel saltem contra eum aut rescriptum tanquam incertum non excipiat, ex duobus Vicariis æque principalibus, tanquam delegatus dispensare, vel de causa judicialiter cognoscere ille poterit, cui rescriptum illud prius est præsentatum, *Glossa in c. Quoniam cit. V. Substitutum* & *Bonacina de LL. disp. 1. q. 3. p. 8. §. 1. n. 8.*
26. Si verò in Justitiæ rescripto contra eum, cui præsentatur, adversa pars excipiat, delegationis declarationem à rescribente petendam, & donec obtineatur, in causa non procedendum, censent *Laiman in c. 1. hic in 6. n. 7.* & *Barbosa in c. Quoniam cit. n. 10.*
28. Porro Vicarius generalis, tam ab Episcopo, quam à Capitulo deputatus, ut paulò ante dictum, clericus non conjugatus, nec bigamus, nisi cum isto super impedimento fuerit dispensatum, *arg. e. Unici de Cleric. conjug. in 6.* neque 25. annis minor, *c. Cum in cunctis 7. §. Insuper de Elect.* neque alicujus Mendicantium Ordinis Religiosus esse debet, *Clement. 1. §. ad Prioratus de Regul.* etsi aliorum Ordinum Monachi & Clerici esse possint, *Rebuff. in Praxi Tit. de Vicar. Episc. à n. 30.*
29. Præterea esse debet Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico, secundum Trident. *Sess. 5. cap. 16. cit.* Quod licet de Capitulari à S. Congreg. Card. Interpp. 28. Augusti 1621. declaratum, testetur *Barbosa de Canon. & Dignit. cap. 42. n. 53.* Concilii tamen decreto & istius declarationi adversari non videtur deputatio Vicarii, tam Capitularis quam Episcopalis, qui Doctor quidem solius Theologiæ, sed SS. Canonum notitiâ, ad munus illud rectè obeundum sufficienti, est instructus, ut colligitur *ex cit. cap. 16. verbis, Vel alias quan-*
- tum fieri poterit idoneus, & Germaniæ nostræ praxi confirmatur.
- Vicarius secundum SS. Canonum & S. Concilii præscriptum deputatus, etsi Ecclesiæ beneficiatus propriè non sit, cum ex Vicariatu provenientes redditus percipiendi jus perpetuum & stabile, prout ad beneficium Ecclesiasticum exigitur, non habeat, hoc ipsò; quòd Vicarius generalis ab Episcopo liberè, sicut assensu, sic etiam removeri possit, juxta dicta *n. 23. Azor p. cit. lib. 3. cap. 43. q. 8. de Palao Tract. 13. disp. 1. p. 4. n. 5.* Etiam inquam, beneficiatus non sit, dignitatem tamen obtinet, ut iidem docent cum *Glossa in Clement. 2. V. Delegatus de Rescript.* *Zabarella ibid. n. 22. Barbosa cit. alleg. 54. n. 132.* Ratio est; quia dignitas est rerum Ecclesiasticarum administratio cum jurisdictione, ut aliis relatis docet idem *n. 133.* & *cit. Stron. lib. 2. q. 27. n. 11.* quam Vicario generali competere, nemo est, qui inficietur, & docet praxis quotidiana.
- An autem hæc ejus jurisdictio Ordinaria vel Delegata sit, dubium & celebre controversia est inter DD. eam enim solummodo delegatam; ac proinde Episcopi Vicarium Ordinarium jurisdictionem non esse, voluerunt *Goffredus in Rubric. hic n. 7. Alciatus in Rubric. de Offic. Ordin. n. 24. Sotus in 4. disp. 18. q. 4. art. 3. Germonius Lib. 1. Annot. advers. cap. 6. & alii relati à cit. Barbosa n. 3.* Moventur primò; quia Vicarius vicem gerit Episcopi, & ab ipso constituitur: qui autem vices gerit, nihil proprium habet, sed delegatâ jurisdictione uti creditur, *l. 1. §. 1. l. Episc. 3. ff. de Offic. ejus cui mandata & l. Sotus 16. ff. de Jurisdic. præsertim constitutus ab Episcopo, à quo Ordinaria concedi non potest, arg. à contrariò *Quod de post. can. A judicibus 2. q. 6. ubi Ordinarii judices vocantur, qui ab**

Apostolico, ut Ecclesiastici, vel ab Imperatore, ut Seculares, legitimam potestatem acceperunt. Secundò; quod ex una, jurisdictione Ordinaria à Lege seu Canone descendat, ac sit perpetua, & permaneat mortuo concedente, *l. Et quia 6. ff. Eodem tit. & c. Legatos 2. de Offic. Legati in 6.* delegata autem data sit ab homine, à quo etiam revocabilis est, eoque re adhuc integrâ mortuò finitur, *l. Et quia cit. l. Eum qui 13. ff. ibidem c. Relatum 19. de Offic. deleg. & c. Si delegatus 7. eadem Rubr. in 6.* Ex altera verò parte, jurisdictionem Vicario non tribuat ulla Lex vel Canon, sed Episcopus: per cuius etiam revocationem, *arg. c. Omnis 1. de R. I. & mortem expirat, Clement. fin. junctâ Glofâ V. Contestata de Procurat.*

Sed meliùs cum Glofâ in *c. Licet 8. V. Officiale in 6.* Panormit. in *c. Determinimus cit. n. 12.* & Sylvestro *V. Vicarius q. 4.* Ordinariam jurisdictionem Vicario tribuunt Covarruv. *Lib. 3. var. cap. 20. n. 4.* Maranta *cit. dist. 5. à n. 12.* Gutierrez *Q. Canon. lib. 2. cap. 6. n. 17.* Sbroz. *Lib. 2. quæst. 55.* & duo Barboza, Petrus quidem in *l. Cum Prætor 12. §. 1. ff. de Judic. n. 371.* Augustinus verò *alleg. cit. n. 26.* alios DD. magis numero acervans. Ratio, quâ nituntur est, partim; quòd eadem jurisdictione non possit esse Ordinaria & Delegata: cum ergo jurisdictione Episcopi Ordinaria sit, *c. Cum Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6.* talis etiam erit Vicarii generalis; quia ejus jurisdictione eadem est, quæ Episcopi, hoc ipsò; quòd tribunal atque Auditorium, sive Consistorium utriusque sit idem, *c. Non putamus 2. de Consuet. in 6. & c. Romana 3. de Appel. lat. in 6.* partim verò; quòd à delegato appellari possit ad delegantem, *c. Sicut per 27. §. Porro de Offic. deleg.* hoc ipsò;

quod diversa & distincta ab ordinaria, istique sit subordinata: à Vicario autem generali, saltem in iis, quæ ipsi competunt ex officio Vicarii, ad Episcopum nequeat appellari; ne ab eodem appellatur ad eundem, *c. Non putamus cit.*

Quæ Episcopalis, etiam ratio est Vicarii generalis ipsius Capituli aliorumque Prælatorum, obtinentium jurisdictionem quasi-Episcopalem: quorum proinde omnium Vicarii generales Ordinarii iudices sunt, etiam quoad ea, quæ speciali commissione opus habent, si istorum commissio generali illius constitutioni adjungatur; cum tanquam connexa & accessoria sequantur naturam jurisdictionis principalis, *arg. c. Translatio 2. de Constit. c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles. & Reg. 42. in 6.* Aliud esset, si casus, speciale mandatum exigens, committeretur seorsim, & non accessorie ad officium Vicariatus; tum enim respectu talis causæ foret delegatus, ab eoque appellari ad Episcopum posset, Sbroz. *cit. quæst. 55. n. 39.* Garcias *de Benef. p. 5. cap. 8. n. 40.* & Sanchez *Lib. 3. de Matrim. d. sp. 29 n. 8.*

Neque obstat; quòd ita una eademque jurisdictione Ordinaria sit penes duos, Episcopum ejusque Vicarium: quod naturali rationi repugnare videtur, *l. Si ut certo 5. §. 15. ff. Commodati & l. Possideri 3. §. 5. ff. de Acquir. poss.* quia jurisdictione, de qua agimus, non eodem, sed diverso modo est penes utrumque; & penes Episcopum quidem principaliter & quoad quasi dominium: penes Vicarium autem accessorie & quoad exercitium tantum est, hoc ipsò; quòd ille eam proprio, iste verò alienò solum nomine & dependenter exercent: quod naturali rationi non magis repugnat, quam ejusdem rei dominium quidem directum aut possessionem civilem penes unum,

32

33

unum, penes alium autem esse dominium ejusdem utile, vel possessionem forum naturalem, Glossa in c. Licet 9. V. Eodem modo de Probat. Bartol. in cit. §. 5. à n. 8. & Tuschus Practic. V. Dominium concl. 609. & V. Possessio concl. 429. n. 11.

Ea, quæ in contrarium allata sunt, non admodum urgent. Prius quidem; quia in primis alterius vices geri etiam ab Ordinario possunt; sic enim Legatus Pape, etsi istius vices gerat, c. 1. de Officio Legati, jurisdictionem tamen ordinariam habet, c. Legatos 2. ibid. in 6. Deinde; quia Vicarius generalis alterius vice fungitur ratione proprii Officii Vicariatus, cui ejus jurisdictio adhæret, Barbosa alleg. cit. n. 43. Denique; quia jurisdictionem immediatè non accipit ab Episcopo: sed à Jure, illam ad Episcopi nominationem Vicario tribuente in omnibus, quæ speciale mandatum non requirunt, cit. Sbroz. n. 26. & Sanchez n. 13.

Posteriori verò, partim; quia Jus Vicario Ordinariam jurisdictionem tribuit, hoc ipso; quòd Episcopo permittat nominationem Vicarii, c. Cum Episcopus sit. & c. fin. de Heret. in 6. jurisdictionem ipsius in eodem tribunali exercentem, c. Non putamus & c. Romana cit. partim verò; quia, etsi perpetua & irrevocabilis sit jurisdictio Ordinaria, quæ inest principaliter & proprio nomine exercetur, talis tamen non est, quæ accessoria est alteri, cujus vice & nomine exercetur, arg. l. Cum principalis 138. ff. & c. Omnis 1. de R. I. Sanchez cit. n. 13.

35. Ex hætenus deductis relucet notabiles differentie, quæ intercedunt inter Vicarium Episcopi in spiritualibus Generalem & Foraneum, quem alicubi Commissarium nuncupant Episcopalem; cum

ille, sive Episcopi Vicarius Generalis ipsa muneris sui commissione constituitur in dignitate Ecclesiastica; atque idcirco delegatus Apostolicus sive Apostolicarum, tam Justitiæ quam Gratiæ, litterarum executor esse possit, c. Statutum 11. pr. de Rescript. & Clement. Epi. principalis 2. eadem Rubr. ex canone in nota diocesi Ordinariam, eandemque cum Episcopo jurisdictionem, idemque tribunal habeat, c. Non putamus & c. Romana cit. & propterea ab eo ad Episcopum appellatio Jure denegatur, cit. Contrà, Vicarius Foraneus ipsi muneris sui commissione neque constituitur in dignitate: neque capax redditur executionis litterarum Apostolicarum neque Ordinarius, sed solummodo delegatus, non totius diocesis, sed tantum istius districtus sit iudex; neque idcirco ab eo, tanquam diversam ab Episcopali jurisdictionem, & distinctam tribunal habente, ad Episcopum vocari appellari, Clement. cit. junctâ Glossâ Foraneo, Glossa in casu c. Non putamus cit. Garcias p. 5. de Benef. cap. 4. n. 34. & 34. & aliis DD. congestis Barbosa alleg. 54. à n. 18.

### ARTICULUS III.

## De ejusdem Officio & Potestate.

### SUMMARIUM.

36. Vicarius vi muneris sui potest omnia, non exigentia mandatorum speciale.
37. Hoc exigentia quomodo committantur.
38. Speciale mandatum exigens, quæ sunt Ordinis Episcopalis: 38. Gra

39. Gratiſa conceſſiones Beneficiorum:  
 40. Iſtorum Suppreſſio, unio, impoſi-  
 tio penſionis &c.  
 41. Admiſſio reſignationum:  
 42. Conceſſio Indulgentiarum & diſpen-  
 ſationes pleraque:  
 43. Cognitio cauſarum Episcopo Specia-  
 liter delegatarum:  
 44. Et criminalium, quatuor caſibus  
 exceptis.  
 45. De Matrimonialibus cognoscit vi  
 mandati generalis.  
 46. Speciale etiam exigunt alia cauſe  
 arduæ,  
 47. Et ſubſtitutio Vicarii omnino ſi-  
 milis.  
 48. Non ad breve tantum tempus:  
 49. Neque etiam cauſarum delegatio.  
 50. Vicarii Officium ſinitur ejus obitu,  
 renuntiatione,  
 51. Revocatione ipſi intimata,  
 52. Morte & renuntiatione Episcopi:  
 53. Cujus ſuſpenſio inſcit Acta Vicarii:  
 54. Niſi illa communi errore igno-  
 retur.

36. **V**icarius Episcopi generalis vi  
 generalis mandati ſive com-  
 miſſionis expedire negotia &  
 cognoscere poteſt de omni-  
 bus cauſis, ad jurisdictionem Episcopalem  
 Ordinariam pertinentibus, exceptis duntaxat,  
 quæ ſpeciale mandatum requirunt,  
 Gloſſa & DD. in c. Licet 2. in 6. arg. e.  
 Qui generaliter. 5. de Procurat. in 6. ita  
 quidem; ut ſi aliquo Juris textu habeatur,  
 aliquid ad Episcopi vel Diœceſani pote-  
 ſtatem pertinere, etiam pertinere præſu-  
 matur ad Vicarium generalem: niſi vel  
 ex Jure ſcripto, vel recepta Eccleſiarum  
 conſuetudine, vel aliunde, v.g. ex ipſius Ep-  
 iſcopi expreſſa voluntate, vel cauſæ valde  
 arduæ & præjudicioſæ gravitate con-  
 ſtet, ad id ſpeciale commiſſionem re-  
 quiri, Rebuff. in Praxi Tit. de Forma Vi-

car. n. 152. Garcias de Benef. p. 5. cap.  
 8. n. 65. & Laiman in c. Licet cit. n. 1.

Ea verò, quæ tale mandatum requirunt, ut tractare & expedire poſſit, non ſufficit in Vicariatus commiſſione ei generaliter concedi plenam & liberam facultatem agendi omnia, quæ poteſt Episcopus, etiam ſi ſpeciale mandatum requirant, Molina Tract. 5. diſp. 10. n. 9. Pillegrinus de Vicar. Episc. p. 1. ſ. 1. ſubſ. 2. n. 3. & Barboſa de Offic. Episc. alleg. 54. n. 59. quia ſpecialia non committuntur, niſi exprimantur, c. Qui ad agendum 4. de Procurat. in 6. & Reg. In generali 81. in 6. Quin etiam, ſi uno vel pluribus ſpecialibus expreſſis, addatur clauſula, Et omnia alia, quæ ſpeciale mandatum requirunt, etſi expreſſis minora aut æqualia, tamen, ſi de intentione committentis aliunde non conſtet, expedire non poterit graviora, arg. e. cit. Clement. 2. de Procurat. & c. Sedes 15. de reſcript. ex quorum textuum deciſione generalibus hujusmodi clauſulis graviora negotia non comprehenduntur, Azor p. 2. Inſtit. cap. 2. n. 69. Barboſa in c. Licet cit. n. 8. & Pillegr. ſubſ. cit. n. 70.

Cauſæ autem ſpeciale decretum exigentes ſatis multæ ſunt.

Primò enim tale decretum ſeu mandatum ex poſcunt, quæ ſpectant ad poteſtatem Ordinis Episcopalis, ut ſunt collatio Ordinum, confeſſio Chriſtiſ-  
 tis, Olei ſancti Catechumenorum & infirmorum, adminiſtratio Sacramenti Confirmationis, Eccleſiarum, Capellarum, Altarium conſecratio vel reconciliatio; hos enim aliòſque ſimiles Ordinis Episcopalis actus Vicarius generalis vi generalis mandati exercere nequit, etiam ſi Episcopus conſecratus; cum non in Divinorum, ſed jurisdictionis tantum exercitio Episcopi vices gerat, Sbroz. de Vicar. Episc. lib. 2. queſt. 5. n. 10. Lind

E e e e

10. Lind

10. Imò eos etiam alteri Episcopo committere non potest, Rebuff. *Tit. de Vicar. n. 171.* & Barbosa *alleg. cit. n. 83. & 84.* Pari modo sine speciali mandato concedere nequit Dimissorias extra casum, quò Episcopus in remotis agit, *c. Cùm nullus 3. de Temp. ordinat. in 6.* ut ab ordinandis viri prudentis arbitriò conveniri difficulter possit, Glossa *in c. cit. V. Remotis.*

39. Secundo, in materia Beneficiali ea, quæ sunt meræ liberalitatis & gratiæ, vel speciem habent alienationis; ac proinde, quantumvis à Patronis ad Ecclesias & beneficia nominatos aut præsentatos instituere & electos confirmare valeat, ut *arg. c. Ex frequentibus 3. de Instit. cum Glossa in c. fin. V. Non possunt in 6.* docent & Cardd. declarat. Rotæque decif. firman *cit. Garcias p. 7. cap. 8. n. 84. & cit. Barbosa n. 70.* quòd institutio & confirmatio non gratiæ, sed justitiæ & necessitatis sunt actus: tamen sine mandato speciali Inprimis Ecclesias & beneficia nequit conferre, *c. fin. in 6.* aut præstare consensum in collationem, *arg. l. Cùm quis 165. ff. de R. L.* aut, si juris patronatus Episcopalis sint, in iis instituendos clericos nominare, præsentare, aut eligere, *arg. c. fin. cit. Gonzalez in Reg. 8. Gloss. 9. §. 1. à n. 76. & Gloss. 16. à n. 8. & Palao Tract. 13. disp. 2. p. 30. n. 15.* quia hujusmodi actus sunt donatio quædam & liberalitas, *c. Relatum 9. de Præb. & c. Post electionem 7. de Concess. Præb. rei alienæ administrationem etiam liberam habentibus generaliter non permittit, l. Contra 28. §. 2. ff. de Pænis & l. Filius familias 7. ff. de Donat.*

40. Deinde Ecclesias & beneficia Ecclesiastica unire & uniones revocare, suppressimere, dividere, pensiones super iis imponere &c. etiam in casibus, quibus id Episcopus potest, Laiman *in c. fin. cit.*

*n. 8. Barbosa alleg. cit. à n. 71. & Pilleg. cit. subf. 2. à n. 13. & 22.* quia ista species quædam sunt alienationis: uti etiam novas parochias & beneficia erigere & Monasteria erigendi licentiam dare; vel jus patronatus ex fundationis, confirmationis, dotationis causis alicui reservare, *cit. Garcias p. 5. cap. 9. n. 73. cit. Sbroz. q. 31. n. 4. Pilleg. n. 33.* aut etiam juris patronatus donationi consensum & auctoritatem præstare, *lib. Garcias n. 74. & Pilleg. n. 20.*

Denique admittere beneficiorum reservationes, tam simpliciter quam ex permutationis causa factas, *arg. c. Quæ situm 5. de Rerum permut. Flamm. de Resig. lib. 7. quæst. 24. à n. 1. & Laiman in c. fin. cit. n. 6.* Ratio est; quia eorum admisso exigit potestatem delibendi, secundùm receptam Gloss. *in Comment. 1. de Renuntiat. Vicario sine speciali mandato non competentem, c. 1. et 2. in 6.*

Tertio, alias gratias facere, ut sunt concessio Indulgentiarum, *cit. Sbroz. quæst. 4. n. 3. & Barbosa n. 20.* absolutio à casibus Episcopo reservatis, *cit. Episcopus 2. de Panit. & remiss. in 6. ibidem Barbosa n. 116.* absolutio ab excommunicatione Canonis, sive clerici percussione contracta, etiam in casibus, quibus ab ea absolvere Episcopus potest, *cit. Sbroz. q. 180. n. 1. & Pilleg. n. 4.* dispensatio in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto, etiam in casibus, quibus illa Episcopo concessa est à Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Resig. ut colligitur ex hujus decreti verbis, Per te aut Vicarium ad id specialiter delictorum.* Uti etiam dispensationes in votis, juramentis, statutis diocesanis, in Canonis impedimentis & Legibus Ecclesiæ universalibus, in casibus, quibus dispensare Episcopo est permittum, *Gutierrez Casen.*

*Canon. Q. D. lib. 1. cap. 19. n. 17. & Sanchez Lib. 2. de Matrim. disp. 40. n. 12. Rationem Laiman in c. fin. n. 9. reddit; quòd dispensatio non tantum sit species gratiæ & remissionis, sed insuper æquiparetur in integrum restitutioni, generali mandatò non comprehensæ, l. Illud 25 §. 1. ff. de Minoribus. In multis tamen, & amplioribus saltem dicecesibus, ut sunt Germaniæ nostræ, in hujusmodi casibus, præsertim frequenter occurrentibus, v.g. in observatione Festorum & Jejuniorum, Vicarii, scientibus & non contradicentibus Episcopis, ex consuetudine dispensant, teste Laiman cit. n. 9. limit. 2. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 59. Ex eadem Consuetudine, imò de Jure etiam, ex justa causa dispensant in denuntiationibus, ex Conciliorum Lateranensis, c. fin. de Spons. clandest. relati & Tridentini Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr. præscripto matrimoniali contractui præmittendis, ut cum cit. Sbroz. quest. 43. n. 28. & multis aliis tradit Barbosa alleg. 32. n. 59.*

43. Quartò, licet Vicarius super causarum, ad forum Episcopale contentiosum pertinentium, cognitione fundatam habeat intentionem: sine speciali tamen commissione ab eo expediri nequeunt imprimis causæ, à sede Apostolica Episcopo specialiter delegatæ: uti etiam, propter suam gravitatem, Feudales, cit. Barbosa n. 11. & Pilleg. n. 6. & seqq. Deinde criminales, saltem quibus reus ob delictum grave à beneficio aut administratione removendus, vel alia gravi v.g. exilii, trireremium, confiscationis penam plectendus veniret, c. Licet cit. quia tales causæ censentur arduæ & graviores, quæ mandatò generali non solent comprehendi, Vivianus in Ration. c. Post translationem 4. de Offic. Legati.

44. Excipiendi tamen sunt casus, Primò,

quòd reus super crimine tantum civiliter, v.g. ad damni illati compensationem aut satisfactionem pro injuria convenitur, Francus in c. Licet cit. n. 6. & cit. Sbroz. quest. 126. Secundò, quòd Vicarius super crimine inquirat, & cognoscit solummodo ad emendationem delinquentis aut scandalum tollendum, Franc. ibid. n. 2. & Laiman n. 2. V. Secundò. Tertiò, quòd propter delictum non grave tantum pecuniaria eaque non magna, aut alia levior poena esset infligenda, Sbroz. ibid. 9. 143. n. 12. Quartò, quòd inquisitio eò tantum sine instituitur, ut reus ad Episcopum deferatur, Idem ibid. n. 8. & Laiman in c. cit. n. 2.

Quintò, pertractare nequit causas in integrum restitutionis, arg. l. Illud 25 §. 1. cit. & de crimine hæreseos cognoscere sine speciali commissione, cit. Barbosa n. 48. & 108. & Pilleg. n. 30. & 56.

His causas Matrimoniales, cum Rebuffo Tir. de Forma Vicar. n. 155. & aliis addunt Laiman in c. Licet cit. n. 3. & Pilleg. subs. cit. n. 37. propter c. Accedentibus 12. de Excess. Prelat. & Trident. Sess. 24. cap. 20. de Reformat. quorum priori textu, dignitatis Episcopalis esse: posterioris decretò, Episcopi tantum examini relinquenda, dicitur cognitio matrimonialium causarum. | Ratio est; quòd criminalibus æquiparentur, cap. 20. cit. statum hominis concernant, & propterea arduis causis merito accenseantur, c. Causa 9. De in integ. restit. quarum cognitio sine mandato speciali commissæ non censetur. Sed melius, earum cognitionem Vicario competere, cum Panormit. in c. Si vir. 2. de Cognat. spirit. n. 4. Alex. de Nevo ibid. n. 5. defendunt Covarruv. de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 12. n. 1. Sanchez Lib. 3. de Matrim. disp. 29. n. 18. & Barbosa alleg. cit. n. 94. alios referentes, & suam hanc doctrinam de-

Eccc 2 sumentes



fumentes ex *c. fin. de Cognat. spirit.* ubi ejusmodi causa proposita coram Officiali, & *c. 1. de Frigid. & malef.* ubi in ea provocatū est ad Episcopum ejusque Missum, hoc est, Vicarium generalem, ut *ibi Glossa V. Missum* notat.

Neque obstat; quod Juribus in contrarium allegatis pertinere dicantur ad Episcopum; quia de omnibus causis, ad hujus jurisdictionem pertinentibus, Vicarius cognoscere vi generalis mandati potest; nisi ad aliquam speciali mandato ipsi opus esse, aliunde constet, ex doctrina ipsius Laiman in *c. cit. n. 1. Garcia de Benef. p. 5. cap. 8. n. 65. & cit. Pirrhing n. 41.*

Neque etiam objecta arduitas, hōc præsertim tempore, quō causæ matrimoniales propter exquisitissimos Commentarios plūs quā ullæ aliæ sunt illustratæ. Non denique æquiparatio cum criminalibus; quia à Tridentino, sicut harum, sic etiam matrimonialium cognitio solis Decanis, Archidiaconis, aliisque inferioribus, & *c. Causa cit.* solis arbitris adimitur, non etiam Vicario: cui, sicut criminalium adempta, *c. Licet cit.* sic matrimonialium causarum cognitio expressè permisa est *c. 1. & fin. cit.*

46. Sexto demum, speciale mandatum exposcunt fere quæcunque causis arduis accensetur, ut sunt alienatio rerum Ecclesiasticarum & præstatio consensūs in eam, etiam in casibus Episcopo permisis, Panormit. *Consl. 88. n. 6. & cit. Barbosa n. 106. Visitatio diocæsis, Rebuff. Tit. cit. n. 100. & Pilleg. n. 48. Congregatio Synodi diocæsanæ, Sbroz. quest. 46. n. 1. Ultimarum voluntatum executio, idem quest. 49. n. 2. & Pilleg. n. 54. & alia apud DD, hæctenus allegatos. Quibus*

47. An etiam alterius Vicarii substitu-

tio adnumeranda sit, dubium reddent duo in speciem sibi contrarii textus, *c. Clericos 4. & c. 1. in 6.* quorum prior interdicit, ne posteriori permilla videatur, inter se conciliandi sunt beneficii distinctionis; quantumvis enim alterius omnino similis, hoc est, cui totum quod officium committatur, substitutionem ei permissam meritò negetur, juxta textum priorem, & posterioris Glossam *V. Ipsius*; cum totius officii sui commissio jure permilla non sit ulli Principe interpretari, *Novell. 134. cap. 1. nisi in casibus ab ipso Principe vel Jure concessis, Novell. 128. cap. 20.* idque ipse etiam Episcopus non posset, nisi hoc ipsi à Canone, præsertim *c. 1. cum sepp. n. 6.* concederetur. Ita Maranta *difi. 7. ca. n. 22. Sbroz. Lib. 2. quest. 61. n. 10. Laiman in c. 1. cit. n. 10. Barbosa n. 99. &c.*

Nihilominus ex justa, infirmitatis, absentia, vel alterius similis impedi- menti causâ, ad breve tempus in ecclesia aliū sibi substituere non prohibetur, juxta textum posteriorem, id non obstat supponentem, ut cum Glossa in *Canon. 1. V. Locum aliorum de Regular. cit. cit.* que DD. notant.

Præterea, an Vicario permilla delegatio sit, dubium reddit *l. More p. de Jurisditi.* quâ jurisdictionem, non suo jure, sed alieno beneficio, obtinente delegatio negatur. Verum, Vicario in generali mandato etiam potestas delegandi unam vel plures causas, & illarum etiam universitatem, commissam à DD. censetur: & exigit multitudine negotiorum, in ampla præsertim diocæsi. Neque adversatur *l. cit. partim*; quod delegandi potestatem tantum neget, alieno nomine exercentibus jurisdictionem delegatam, non Ordinariam, qualem Vicarius habet, juxta dicta *n. 37. partim*

partim verò; quòd Vicarius delegare censeatur Jure & potestate sibi ab Episcopo commissa, Laiman *in c. 1. in 6. n. 13.*

50. Officium Vicarii finitur imprimis per mortem aut renuntiationem ipsius & Episcopi revocationem: quâ factâ & Vicario intimatâ ab isto postea gesta omnia Viribus ac Valore distituuntur, propter defectum agendi potestatis seu jurisdictionis, ipsâ revocatione ablata. Quod omnino exploratum.

51. Dubium autem est, an invalida etiam sint ab eo revocato gesta ante revocationis notitiam acceptam; nam etiam talia pro invalidis habent Albericus in *l. More 5. ff. de Jurisdic. n. 22.* & alii, relati à Boërio *decis. 347. à n. 12.* sed melius ante intimationem gestorum valorem defendunt Glossa in *c. Auditis 8. V. ad illum de Procurat. Panormit. in c. Audita 4. de Restit. spoliat. n. 13.* Flamin. *Lib. 7. de Resignat. q. 24. n. 41.* Sbroz *de Vicar. Episc. lib. 3. q. 36. à n. 6.* & Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 30. n. 11.* id defuentes ex *l. Si forte 7. ff. de Offic. Praefidis*, quâ ab isto, antequam successoris designationem & adventum cognoverit, acta omnia rata habentur. Ratione reddunt; quòd Vicarium revocandi eius jurisdictionem auferendi modus maximè conveniens & ad multa incommoda excludenda utilis sit, si illius actualis ablatio inducat ipsâ revocationis notitiâ, non quomodocunque, sed intimatione ab ipso Episcopo per se vel per literas, vel ab alio ejus nomine factâ.

52. Deinde Vicarii officium finitur, Episcopi ipsum constituentis obitu, renuntiatione, ad aliam Ecclesiam translatione, vel depositione, etiam re non amplius integrâ ita; ut causas, illo vivente vel regente captas, post ejus mortem, renuntiationem &c. profsequi validè non possit: & postea acta irrita sint, propter defe-

ctum jurisdictionis: quæ hoc ipso; quòd diversa non fuerit ab Episcopali, hæc cessante, etiam ipsa est extincta, Panormit. *in c. Licet 30. de Officio Deleg. n. 8. citt. Sbroz. q. 18. n. 7.* & Sanchez *disp. 30. n. 1. & 2.* Rationem, cur per mortem &c. Vicarii, non etiam delegati jurisdictionis finiat, reddunt; quòd Episcopi & Vicarii unum idemque tribunal & jurisdictionis sit: non etiam delegantis & delegati.

Episcopò verò excommunicatò, suspensò vel interdictò, sicut Episcopi, sic & Vicarii jurisdictionis, etiam quoad negotia jam cæpta, suspenditur, ut tali censurâ durante omnia ejus acta irrita sint; cum enim Vicarii jurisdictionis & tribunal non distinguatur ab Episcopali, *c. Non putamus 2. de Consuet. in 6. & c. Romana 3. de Appellat. in 6.* hæc per suspensionem impeditâ, necessariò etiam illa impeditur, Glossa in *c. 1. V. Ipsus in 6.* Francus *ibid. n. 6.* Panormit. *in c. Quoniam 14. de Offic. deleg. n. 10.* Gutierrez *Canon. Q. 2. lib. 5. cap. 1. à n. 83.* & alii, quos refert & sequitur *cit. Sanchez n. 6.* qui tamen *n. 9.* tali casu à Vicario procedi posse, ait, in causa ab alio sibi delegata; cum ita non Episcopi suspensi, sed ab alio data jurisdictione utatur.

Dubium hic est de valore sententiarum aliorumque actorum à Vicario generali, Episcopi procul absentis obitu, renuntiationem, privationem, suspensionem ignorante. Qua in re non idem est omnium sensus. Ego multum interesse existimo, an Episcopi obitu, renuntiatione &c. communiter vel à solo ejus Vicario & paucis quibusdam aliis ignoretur: & priori, non etiam posteriori casu à Vicario acta subsistere. Ratio prioris est; quia communi & publicò errore existimati iudicis, præsertim suffulti titulò coloratò, sive ejus, qui iudicandi & agendi munus à legitimo superiore accepit, id-

Et ee 3 que a-

que amiffisse publicè nescitur, l. Barbarius 3. ff. de Officio Præf. & §. Veruntamen post can. Infamis 3. q. 7. acta valent; quòd tali casu jurisdictionis, in persona extinctæ vel suspensæ, defectus propter errorem communem, & necessitatem vel utilitatem publicam, ab Ecclesia vel Republica suppleatur, Henriquez Lib. 6. cap. 3. n. 3. lit. A. cit. Flamin. q. 24. n. 33. Sbroz. q. 36. n. 9. & Sanchez disp. 22. n. 59. Posterioris verò; quia eò casu Vicarii acta Juris iomentò ac præsidio planè destituuntur; cum l. & §. cit. dispositio solummodo procedat casu erroris communis, sive publicæ iustæque ignorantia circa personam iudicantis; quòd hòc tantum casu jurisdictionis in eo extinctæ defectum suppleri, necessitas aut utilitas poscat, ut cum cit. aliisque DD. plenius tradetur Lib. 2. tit. 1. à n. 63.

## ARTICULUS IV.

De Vicario Capituli  
Sede Episcopali vacante.

## SUMMARIUM.

55. Episcopatus administratio olim Capitulo:
56. Hodie competit Vicario, intra octo dies,
57. A vacationis notitia computandos, assumendo.
58. Qui de gremio vel extraneus,
59. Assignatò salariò, constitui debet.
60. Octo dierum terminus à Capitulo contrahi:
61. Non etiam prorogari potest.
62. Vicarii tamen deputatio à Capitulo post octo dierum lapsum,
63. Et quacunque formà facta Jure invalida non est.
64. Constitui Vicarius potest ad certum tempus.

65. Simpliciter & generaliter constitutus omnia, que Capitulum,
66. Etiam speciale mandatum alibi concessentia, pertractare,
67. Et vi solius Consuetudinis participare potest Distributiones.
68. A Capitulo ad libitum revocari,
69. Et sine eo diacesis Visitatio decreti non potest.
70. Alium sibi substituit ad breve tempus.
71. Ab ejus sententia provocandi appellatur ad Metropolitanum,
72. De suspicionis ei objecta causa Capitulum cognoscit,
73. Vel illius causam ad arbitrium mittit.
74. Vicarii Capitularis jurisdictionis cessat apprehensa possessione à novo Episcopo:
75. Cui etiam rationes redditus gub. administrationis,
76. Et, deliquisse compertus, ab eo vel à Metropolitanò puniatur,
77. Vicarius Episcopi mortui &c. rationes non Capitulo:
78. Sed illius in Episcopatu successores reddit.

**J**urisdictionem Episcopalem, vacante Sede penes se residentem, exerceri à Capitulo per seipsum committitur Jure antiquò potuisse, satis exploratum & ratio expedita est; quòd ad aliud exercitium alteri committendum à solo canone non arctaretur, Barbosa de Offic. Episc. alleg. 54. n. 183. Ex qua ratione hodie quoque jurisdictionem illam ita exerceri & Episcopatum administrari ab ipso Capitulo intra octo dies post Episcopi mortem posse, cum Zerola Præf. Episc. p. 1. V. Capitulum §. 3. & aliis tradit Barbosa alleg. cit. n. 113. quòd eodem modo exercitium & administratio etiam decreti

decreto Synodali, mox recitando, non ad-  
verberetur.

56. Intra dies autem illos, à Capitulo con-  
stitui Vicarium, aut eum, qui plenâ fede  
ab Episcopo fuit constitutus, confirmari,  
per eumque Episcopalem jurisdictionem  
exerceri, voluit S. Synodus Trid. *sess. 24. cap. 16. de Ref. ubi Capitulum*, inquit, *se de va-  
cante, Officiale seu Vicarium infra octo  
dies post mortem Episcopi constituere, vel  
existentem confirmare omnino teneatur,*  
*qui saltem in jure Canonico sit Doctor vel  
Licentiatus, vel aliàs, quantum fieri po-  
terit, idoneus: si secus factum fuerit, ad  
Metropolitanum deputatio hujusmodi de-  
volvetur. Et, si Ecclesia ipsa Metropo-  
litana fuerit, aut exempta, Capitulumque  
negligens fuerit, tunc antiquior Episco-  
pus ex suffraganeis in Metropolitana: &  
propinquior Episcopus in exempta Oeco-  
nomum & Vicarium idoneos possit consti-  
tuere.* Haec tenet S. Synodus, quæ publi-  
cè utilissimò hòc decreto obviavit confu-  
sioni ac protelationi negotiorum & aliis  
haud sanè levibus incommodis, quæ ex-  
communi administratione Capituli nasci  
plerumque solent: propter difficultatem  
congregationis duarum partium Capitu-  
larium, necessarîæ ad aliquid in Capitulo  
decernendum: & propter multitudinem  
suffragiorum facilè discordantium, ut ad  
commune placitum ac sententiam ple-  
rumque vix, & aliquando ne sic quidem,  
perveniatur. Circa decretum hoc

Convenit inter DD. primò, ad Vica-  
rii constitutionem intra octo dies Capitu-  
lum adstringi, Episcopali sede non solùm  
per Episcopi obitum, sed etiam per ejus  
Translationem, Renuntiationem, aut ali-  
um modum verè aut fictè Vacante, ut de-  
sumitur ex generalitate *Rubricæ Spr. cap. 16. cit.* Ratio est, quia perturbationes &  
negotiorum protelationes aliæque incom-  
moda, quæ Capituli communis admini-

stratio affert, & Vicarii constitutione ex-  
cludere S. Synodus intendit, timenda sunt,  
quòcumque modò sedis Episcopalis vaca-  
tio inducatur; ut ad eò *cap. 16. cit.* vaca-  
tionis, per Episcopi mortem contingen-  
tis, mentio solius exempli gratià facta, &  
Synodali decreto sedis vacantis casus om-  
nes comprehensì intelligantur, Diana  
*p. 8. tract. 4. resol. 4.*

Convenit inter eos secundò, termi- 57.  
num octo dierum, ad Vicarii electionem  
Capitulo præfixum, currere à die vacatio-  
nis non inductæ, sed notæ, sive, quò Epi-  
scopum functum vitâ, ejus renuntiationem  
à Papa admittam, istius autoritate  
translationem ad aliam Ecclesiam factam  
&c. Capitulo innouit, *arg. e. Quia diver-  
sitate 5. De concess. præb.* Unde, si sedis  
vacatio inducatur Episcopi translatione,  
octo dierum terminus currere incipit à  
die, imò hora & momento, quò Capitu-  
lum certum redditum est, Episcopum à  
spiritualis conjugii vinculo, quò primæ  
Ecclesiæ alligatus erat, autoritate Apo-  
stolicâ fuisse absolutum, etiam antequam  
is secundæ Ecclesiæ adeptus possessionem,  
vel literæ Apostolicæ super translatione  
fint expeditæ, *cit. Diana resol. 55. §. Ter-  
minus & Barbosa alleg. 54. n. 164.* Ratio  
est, quia ipsâ à spiritualis conjugii vinculo  
absolutione primæ Ecclesiæ Episcopus  
definit esse, illiusque Vacatio inducitur,  
per tradita *Tit. 7. n. 13.*

Convenit tertio, licet Capituli Vica- 58.  
rius esse possit extraneus, sive, qui de Ca-  
pituli gremio non est, Capitularem tamen,  
si idoneus reperiatur, cæteris paribus ex-  
traneo præferendum, cum Garcia de Be-  
nes. *p. 5. cap. 7. n. 13.* Diana *resol. 57.* &  
aliis censet *cit. Barbosa n. 165.*

Quartò, Vicario Capitulari, etiam si 59.  
de gremio sit, de competente salario pro-  
videndum ex bonis seu redditibus Eccle-  
siæ vacantis, Glossa in *Clem. Statutum 7.*  
V. Expen-

*V. Expensa de Electione & Barb. de Canon. & dignit. cap. 42. n. 35. cum nemo teneatur suis stipendiis militare, c. Cum ex Officii 16 in fine de Prescript.*

60. Dissensio autem & dubium est primò, an Vicarii electioni præfixus terminus à Capitulo valeat restringi vel extendi. Quia in re Vicarium eligi Vacationis notæ primò die posse, non est qui inficias eat; quòd octo dierum terminus Capitulo accommodatus, etque præfixus tantùm sit; ne ultra octiduum electio differatur: utque illius restrictione incommodis, quibus capitularis administratio obnoxia est, citius & efficacius obvietur. Unde terminum illum coarctari, & Vicarii electionem ad pauciores dies à Capitulo reduci etiam statuto posse, cum M. Ant. Genuensi *Prax. Episc. cap. 88. num. 7* censet Diana *Tract. cit. resol. 65. §. Sed his*; quòd hujusmodi statutò Capitulo, in suò favore introducto juri renuntiare, videatur, & locus sit Regulæ *c. Si de terra 6. de Privileg.*

61. Alia ratio est prorogationis terminus; cum iste non solum extendi nequeat Statuto, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cum inferior 16. de Majorit. & Obed.* sed ejus non observati lapsu Vicarii deputatio ad superiorem devolvatur, *cap. 16. cit. aded.* ut, ipsò illius lapsu vicarium eligendi facultate Capitulum privari, asserant, ab eoque postea factam electionem nullitatis arguant *Quaranta Summa Bull. V. Capitulum sede vac. n. 3. §. Eidem & Suarez de Censur. disp. 28. f. 3. n. 2.* quòd *cap. cit.* Vicarius à Capitulo constituend⁹ vel confirmand⁹ asseratur *Omnino*, dictione executionem & præcisam necessitatem denotante, & habente vim clausulæ irritantis; ut, quod contra eam fit, pro infecto sit habendum, per tradita à Tiracuell. *in l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Revertatur n. 78.* & Lamber-

tino *Lib. 2. de Jure Patronat. p. 1. q. 7. art. 20. n. 19.* In quam rem DD. non etiam ponderant dictionem *Intra*, nisi in extrema, primum scilicet & octavam diem includentem, & excludentem que sunt extra; ut, quod intra octo dies expedendum est, expediri nequeat post lapsum diei octavæ, Tufchus *Praxis V. D. Ratio conclus. 299.*

Verisimilis hæc: sed sicut favorabilis à Capitulo, sic decreto Concilii magis sententia est contraria Opinio Riccii *Colleci. decis. 1602.* & Garcia *cit. cap. 7. n. 4. quos, & Capitulorū Cathedralium exemplarium praxin secutus Fermoia. Tract. 1. de Capitulo sede vac. q. 8. n. 1. & huc integrâ, sive, antequam Vicarius constitutus sit à Metropolitanò vel Episcopo propinquiori, mora purgationi locum esse, ait; ut octo dierum terminus non adò deputatus à Capitulo Vicarius constituatur, *arg. c. Literas 4. de suppl. leg. 6. c. fm. de Locato.* Ratio est; quia in luto nominationis Vicarii, à Tridentino introducta, sic exaudienda est; ut Metropolitanus vel propinquior Episcopus vicarium idoneum deputare, negligens à Capitulo, possit: non, ut eum nominandi moramq; purgandi facultas Capitulo pernicus ablata: ab eoque postea facta Vicarii nominatio viribus vacua intelligitur; cum Concilium diserte asserat, Vicarii deputationem devolvi, ut Metropolitanus vel Episcopus propinquior illum constituere possit; & non utatur verbis denotante nullitatem: quam etiam non important dictiones *Omnino*, & *Intra* cum his Vicarii constitutionem vel confirmationem ultra octo dies non differendi præcisa necessitas capitulo à Concilio imposita dici queat ad effectum; ut evitetur mora & culpa: non etiam; ut actus nullitas non incurratur: & ita imposita dici, si possit, debeat; ne antea*

is Juris correctio ultra effectum, decretò correctoriò expressum, latà eaque minime necessarià interpretatione porrigatur, contra Regulam *c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. Et Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.*

65. Dubium secundò est, de modo eligendi Vicarium Capitularem; Fuscus enim *de Vistat. n. 32.* non parùm ambigit, & in ejus constitutione servandam opinatur formam, in Concilio Lateranensi præscriptam & relatam *c. Quia propter 42. de Electione.* Sed contra cæterorum Doctorum torrentem, & Cardd. Concilii Tridentini Interpp. declarationem, allegatam à laudatis Garcia *n. 22.* & Diana *resol. 60. §. Et ita.* Ratio est; quia forma, *c. cit.* præscripta, spectat canonicas electiones Prælatorum Ecclesiasticorum, generalem, principalem & perpetuam jurisdictionem obtinentium, quorumque tanquam sponsorum obitu Ecclesiæ viduantur, ut liquet ex *c. cit.* verbis, *Ecclesiæ viduatis*, & cum Panormit. *ibi n. 2.* observat Sylvester *V. Electio 2. q. 1.* Vicarius autem, tam Capitularis quàm Episcopalis, ejusmodi prælatus non est; cum jurisdictionem obtineat solummodo temporaneam & accessoriam, Episcopi vel Capituli nomine exercendam: ejusque obitu Ecclesiæ viduari non intelligatur. Unde *cap. 16. cit.* à Capitulo non *canonicè eligendus, sed constituendus & deputandus* dicitur instar Officialium aliorum: & in ejus constitutione deputationeve secreta vota exposci, cum DD. *cit.* rectè negant Zerola *§. 3. cit.* & Barbosa *cit. cap. 42. n. 28.*

64. Dubium est tertio, an Vicarius Capitularis constitui valeat ad certum tempus. Qua in re Pavini *de Capitulo sede Vac. p. 2. q. 10. n. 6.* aliorumque DD. communis sententia est, à principio, sicut duos generales æquè principales, vel u-

num generalem, alium vel plures Foraneos capituli Vicarios constitui: & sicut uni constituto certum jurisdictionis exercendæ, *vg. adhibitò assessoris consilio procedendi, modum præscribi*, sic etiam ad duos, quatuor, aut sex menses constitui Vicarium posse; quòd, cum Vicarii Capitularis jurisdictione dependeat ex commissione Capituli, hoc illam committere ita valeat; ut certi temporis lapsu expiret, & in alium à Capitulo deputandum transferatur, ut S. Congreg. Cardd. Interpp. 17. Junii 1617. declaravit apud *cit. Garciam cap. 7. n. 37.* & Barbofam *cap. 42. n. 44.* monentem tamen, expedire, ut Vicarius Capitularis simpliciter, sine conditione modòque, & certi incertique temporis præfixione constituatur.

Dubium quartò est, an ad Vicarium Capitularem, simpliciter & generaliter constitutum, penes Capitulum principaliter residens jurisdictione Episcopalis tota transeat; ut expedire etiam valeat ea, quæ sede plenà mandatum speciale exposcebant. Quod, Rotæ decisione allegatà, negant *cit. Diana resol. 64.* & Barbosa *n. 103.* cum propter paritatem cum Vicario Episcopali, cui facta generalis commissio negotia & causas, speciale mandatum de Jure vel Consuetudine exposcentes, non comprehendit; tum verò; quòd, cum Vicarii Capitularis jurisdictione dependeat à Capitulo, hoc eam limitare & restringere valeat non solum quoad tempus, ut *vg. anni vel semestris lapsu finiat*, sed etiam quoad negotia & causas; ut non porrigatur ad eas, quæ mandatum speciale de Jure vel Consuetudine exposcebant.

Sed meliori ratione, à Vicario Capitulari, simpliciter & generaliter constituto, etiam hujusmodi causas & negotia, ad Episcopi jurisdictionem Ordinariam pertinentia, pertractari sine speciali mandato posse,

ff ff

to posse,

to posse, cum M. Ant. Genuensi *Prax. cit. cap. 86. n. 5.* sustinet Fermosin. *Tract. cit. q. 9. n. 3.* Ratio est; quia, ut *n. 56. dist. 1. sum*, sede vacante jurisdictio Episcopalis Ordinaria, extra casus Jure specialiter exceptos, tota ad capitulum eâ lege transit; ut, ad confusionem aliâque incommoda, quæ ex communi administratione capitulari nasci solent, excludenda, illa committatur Vicario, per quem exercentur & occurrentia negotia expediuntur *cap. 16. cit.* quò proinde relati decreti vigore penes se principaliter residentem jurisdictionem Episcopalem Capitulum, Vicariò constitutò, per se exercere, aut illum constituendò causas & negotia aliqua suo iudicio reservare non potest.

Neque, post Synodale decretum *cit. cap. 16.* relatum, paritas amplius est Primò Vicarii Capitularis cum Episcopali; cum enim jurisdictionem illam per se exercere Episcopus, non etiam capitulum possit post octo dies, ab Episcopi morte sive istius notitia lapsos, *cap. 16. cit.* mirum non est; quod constitutione Vicarii, simpliciter sive generaliter factâ, à Capitulo jurisdictionis omnis, etiam quoad causas & negotia, specialem commissionem aliâs exposcentia, ei commissâ intelligatur: licet talia mandatò Episcopi generali in Vicarium Episcopi generalem translata, non intelligantur.

Neque secundò paritas est jurisdictionis restrictæ ad certum tempus cum ea, quæ à Capitulo sibi reservatur; quia restrictione ad tempus sola facultas tempore illò lapsò alium Vicarium deputandi; non etiam, quod *cit. cap. 16.* relato decreto adversatur, unius vel plurium causarum pertractatio ipsi Capitulo reservatur. Quod si Capitulum in Vicarii constitutione unam vel plures causas aut istarum aliquam universitatem reservaret animò eas, non iudiciò capitulari pertractandi,

sed per viam delegationis committendi alteri, reservatio non adversaretur decreto Synodali; quòd istò Vicariò deputatio præcipiatur sine inhibitione, ne causa aliqua alteri committatur; & talis commissio obnoxia non sit incommodis, quibus S. Synodus obviavit.

Dubium est quintò, an Vicarius Capitularis de gremio, sive ex ipsis Ecclesia canonicis constitutus, distributiones quotidianas lucretur, quando à choro est absens. Cum salario canonicatus (quod fructus ab eo percipi, satis liquet ex *c. De cetero 7. de Cleric. non resid. c. c. Cum non deceat 30. de Elect. in 6.* De Distributionibus autem illis dissenso est inter DD. in utramque partem militantes, dicto *c. Unic. §. Qui verò de Cleric. non resid. in 6.* à cujus intellectu, *Lib. 3. Tit. 4. n. 19.* præ aliis probando, non recedendum, & statuendum censeo, Vicariò Capitulari à choro absenti illas, licet non debeant spectatò Jure, præstari tamen & à Vicario percipi posse vigore Consuetudinis, ubi ista est recepta. Ratio est; quia Vicarius, quando à choro abest, quòd jurisdictionis suæ exercitiò detinea tur ab illo est propter servitium & utilitatem evidentem suæ Ecclesiæ: cui Episcopalis jurisdictionis, vacante sede, à Capitulo commissæ, exercitium utilis est quantum præsentia in choro: consuetudo autem pro evidenti utilitate & servitio Ecclesiæ à choro absentibus distributiones tribuens, discretè approbata est §. *Qui verò de Cleric. non resid. c. c. Cum non deceat cit.* relato, & ex tali causa à choro absentibus aperte beneficiorum quidem suorum fructus adstruendi, sed deneganti quotidianas distributiones. Quare quoad istas specialis curisque Ecclesiæ consuetudo habenda præ oculis & observanda est, Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 13. num. 8. V. §. Moneta p. 2. de Distribut.*

*tribut. q. 11. n. 78. & Palao Tract. 7. diff. 3. p. 5. n. 2.*

68. Dubium sextò est, an Vicarius Capitularis ad constituentium libitum valeat revocari. Affirmant id *citr.* Quaranta *V. cit. n. 3. dub. 3. Zerola p. 1. V. Vicarius §. 12. n. 3. Sbrozzius Lib. 3. de Offic. Vicar. cap. 32. n. 7.* & alii, ducti non levis momenti ratione; quòd, sicut Episcopalis, sic & Capitularis Vicarius ad libitum revocari potuerit Jure antiquò; cum hòc spectatò in tota jurisdictione Ordinaria, extra casus specialiter exceptos, Episcopo successerit, & Vicarii revocatio non fuerit excepta: Novissimò autem Jure Synodali Vicarii Capitularis revocatio ne verbò quidem attingatur; ac proinde tanquam casus omisus sub antiqui Juris dispositione sit relictus, *arg. l. Commodis sine 10. ff. de Lib. & postb.*

Sed, re accuratius ponderatà, Vicarii Capitularis revocatio à Concilio Tridentino intacta non est; cum enim *cap. 16. cit.* jurisdictionem Episcopalem, vacante sede penes Capitulum residentem, intra octo dies transferri præceperit in Vicarium, per quem illa exercentur: eaque translatione legitime factà Capitulum officio suo functum jam sit, postea, sicut causarum ac negotiorum pertractatione immiscere: sic etiam Vicarii constitutionem legitime factam revocare & immutare non permittitur, *arg. l. Judex §. ff. de Re judic.* ut à S. Congreg. Card. Interpp. multoties declaratum fuit adeò; ut, legitimam etiam causam revocationem suadente aut exigente, v.g. si Vicarius insufficienti appareat, vel in officio sibi commissi executione negligens sit, amoveri nequeat: nisi causa à S. Congreg. Episcoporum & Regularium negotiis præposità de eaque certioratà approbetur, ut ipsa declaravit 1631. & ante 1603. Capitulum Neapolitano rescriptis apud *citr.* Dia-

nam *resol. 63. in pr. & sine & Barbosa cit. cap. 42. n. 47.*

Hinc tamen non rectè inferitur, non nisi causam à S. Congreg. approbatam revocari posse Vicarium, Capitulo ejus constitutionem intra octo dies negligente, à Metropolitano aut propinquiore Episcopo deputatum; cum enim in istis non militet causa confusionis &, quæ ex multitudine votorum timetur, difficultatis consensus in Capitulo consideratæ, à Metropolitano vel propinquiore Episcopo facta deputatio æquiparatur ei, quæ, plenam fedem, sit à proprio Episcopo; ut Vicarius, sicut ab isto, sic & ab illis deputatus, revocari libere possit: quod de Metropolitano in una *Limana 29. Septemb. 1623.* à S. Congreg. Card. Interpp. declaratum, perhibent *citr.* Diana *Resol. 63. §. Et idem & Barbosa n. 48.* Accedit; quòd, si Vicarius removeri à Capitulo ad nutum posset, ansa illi præberetur, revocationis aut amotionis metu remissius se gerendi in administranda justitia in causis capitularium & dependentibus ab eis, ut probè observat *Garcias cit. cap. 7. n. 22. §. Sed ea:* cujusmodi ansam non præbet libera revocationis facultas competens Metropolitano & Episcopo propinquiori.

Dubium septimò est, an Vicario Capitulari competat deputatio generalis Visitatoris diocesis. Et hujusmodi quidem visitationem diocesis, saltem amplioris, ab ipso obiri, vix conveniens & possibile est; cum enim ad officium & jurisdictionem suam exercendam ferè adstrictus sit curiæ Episcopali, diocesis pervagari, & generalis Visitatoris officio fungi ipse vix potest, De talis autem Visitatoris deputatione S. Congreg. Card. Interpp. à *citr.* Garcia *cap. 7. n. 23.* septimò locò relata declaratio est: *Capitulum non potest eligere Visitatorem absque Vicario ad*

Ff ff 2

caris ad



*caro ad visitandam diocesim.* Quæ declaratio, an etiam pertineat ad octiduum, intra quod ex decreto Concilii *cap. 16. cit.* Vicarius est constituendus, satis anceps & verisimilius est, illam ad tempus hoc non pertinere, eoque Visitatorem non minus quam Vicarium aut cum isto deputari posse; quod id Capitulo Jure vetitum non sit, & doceat praxis Capitulorum: à quibus, intra octo dies congregatis, sicut Vicarios generales, sic etiam Visitatores & Officiales alii deputari solent, teste Fermosin. *cit. Tract. 1. q. 12. n. 13. in fine.*

70. Dubium octavo est, an Vicarius Capitularis sibi substituere alium possit. Quæ in re præ oculis habenda, & Capitulari accommodanda sunt, quæ de Episcopi Vicario generali dicta sunt supra *tit. 28. à n. 47.* ut, sicut isti, sic etiam illi, non nisi ad modicum tempus, ex magna causa, & non nimis frequenter, munus suum alteri committendi facultas adstruatur, cum Zabarella *in Clement. unic. de Offic. Vicar. q. 19. & cit. Diana Resol. 62.* Nisi alterius substitutio ei specialiter permessa à Capitulo fuisset, apposita clausula, *Quem ex tunc prout ex nunc substituiimus.* Quod si Vicarius Capitularis gravi infirmitate aut alia causa ab officii sui executione impediretur, causas tunc pendentes alteri delegare: & si ad illam redderetur inhabilis, ei perinde, ut vitâ functo, alium substitui à Capitulo posse, censent *citt. Diana resol. 62. & Fermosin. q. 9. n. 10.*

71. Dubium nono est, ad quem à Vicarii Capitularis sententia sit appellandum. sicut à Vicarii Episcopalis, sic & ab ipsius sententia ad Metropolitanum: non ad capitulum provocandum, *Lib. 2. tit. 28. n. 60.* dicitur, & ratio aperta est; quia, sicut Episcopalis, sic & Capitularis Vicarii idem tribunal eademque jurisdictio est; quæ Episcopi Plenæ, & Vacante sede Capituli

est: & appellatio ab eodem ad idem tribunal, ab eadem ad eandem jurisdictionem Jure denegata, *c. Non putamus a la. Consuet. & c. Romana 3. pr. de Appellat. utrobique in 6. Scaccia de Appellat. q. 1. n. 6. cit. Barbosa n. 60. & Fermosin. q. 10. n. 14.* Atque hoc etiam procedit in Vicario, quem, Capitulum intra octo dies negligente, Metropolitanus vel propinquior Episcopus constituit; cum etiam talis ipsius Capituli, & non hujusmodi Episcopi vel Metropolitani, Vicarius sit, & ad exercendam jurisdictionem Episcopalem, vacante sede penes capitulum residentem, deputatus. Quod si appellatio à Vicario Foraneo provocetur ad Capitulum, causa appellationis ab ipso remittenda est ad Vicarium, in quem totius jurisdictionis Episcopalis Ordinariæ exercitum translatum, & ipsa illius constitutio ne à Capitulo abdicatum intelligatur, vigore *cap. 16. cit. Fermosin. q. cit. n. 10.*

Quod si Vicarius Capitularis tanquam suspectus recusetur, præ oculis habenda sunt, quæ de recusatione Vicarii Episcopalis dicuntur *lib. 2. tit. 28. n. 68.* sicut etiam de istius causa ad Episcopum, *c. Si non 4. v. fin. de Offic. deleg. in 6. sic de Vicario Capitularis recusati causa (sive is à Capitulo, sive à Metropolitanano aut viciniori Episcopo deputatus sit) cognoscere, ad Capitulum, non ad Metropolitanum pertinebit, arg. v. fin. cit. ut à S. Congreg. Cardd. Interpp. declaratum est apud Grat. *13. ciam cit. cap. 7. n. 23. declarat. q. suscipientem, sicut ab Episcopo, sic & à Capitulo, si de recusationis causa Vicario suo objecta cognoscere ipsum nolit, eligi posse arbitros: & si isti illum merito suspectum judicarent, causam principalem Vicario ablatam alteri committi posse, ut eadem S. Congregatio declaravit, apud Quarantam *v. cit. n. 1. Barbosa cit. 1. q. 42. n. 54. & Fermosin. q. 10. n. 6.***

Dubium

74. Dubium decimò est, quando Vicarii generalis, simpliciter & sine temporis determinatione constituti, jurisdictione cesset; hanc enim ipsa electi confirmatione literisque super ista expeditis cessare: idque à Rota 28. Junij 1683. decisum, ait Flamin. *Lib. 7. de Resignat. g. 19.* Verùm, quia à decisione illa mensè Julio ejusdem anni & in eadem causa recessum est, apud Dianam *cit. Trañ. 4. resol. 69.* melius iste & Fermo-  
lin. *Trañ. 1. cit. g. 8. n. 8.* cum Pavino *cit. g. 10. n. 19.* istius exercitium cessare negant, antequam Episcopus confirmatus nactus sit possessionem. Ratio est; quia Vicarii jurisdictione durat & principaliter penes Capitulum residet, quamdiu vacat sedes Episcopalis: ista autem vacare, donec super electi confirmatione expedita litera Apostolica Capitulo presentata, *Extravag. inter com. de Elect.* & jurisdictione Episcopalis principaliter penes capitulum residere intelligitur, donec confirmatus Episcopatus possessionem fuerit adeptus; ut adeò Episcopalis jurisdictionis exercitium Vicarius Capitularis continuare valeat, donec Episcopatus & jurisdictionis Episcopalis possessio in confirmatum Episcopum fuerit translata. Ex hac ratione

Infertur, casu, quò vacante sede Capitulum incurrit suspensionem ab officio, & jurisdictionis exercitio privatur, censurà illa durante suspensam etiam esse jurisdictionem Vicarii Capituli generalis; ut eam exercere nequeat, donec à censura illa absolutio gratiam Capitulum fuerit consecutum, ut contra Ugolinum *de Censur. tab. 1. cap. 4. §. 3.* docent Suarez *de Censur. disp. 7. f. 1. n. 13.* & Barbosa *cit. alleg. 54. n. 180.* Ratio perspicua est; quia, sicut Episcopalis, sic & Capitularis vicarii jurisdictione eadem

est, quæ Episcopi, vel Capituli sede vacante, & penes hoc & illum principaliter residet: penes Vicarium autem utrumque solummodo accessorie est quoad exercitium, *arg. c. Non putamus c. Romana citt. pr.* atque idcirco, Capitulo ab officio suspensò, etiam Vicarii Capitularis jurisdictionem suspendi est necesse juxta dicta *n. 51.*

Dubium undecimò est; an & cui 75. Vicarius Capitularis officii sui gesti rationes reddere teneatur: cui aniam præbent decreti Synodalis *cap. 16. cit.* verba, *Episcopus ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ab eisdem Oeconomo & Vicario Sc. rationem exigat officiorum jurisdictionis & administrationis, postquam eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint, etiam si redditis rationibus à Capitulo absolutionem aut liberationem obtinuerint;* his enim verbis, sicut finitò, sic & durante officio suo, istius gesti rationes à Vicario exigendi facultas stabilita primò occursum videtur.

Verius tamen est, Vicarium Capitularem & Oeconomum, vacante quidem sede, & non nisi quando ex justa causa, approbante S. Congreg. Episcop. & Regular. negotiis præposita, remoti sunt, ad officii & administrationis suæ rationes reddendas cogi & pro culpis suis puniri posse, ut non obscura mens est S. Congregat. Card. Interpp. cujus declaratio ex relatis à Garcia *cap. 7. cit. n. 23. undecima est, Item Capitulum sede vacante potest, factà remotione Vicarii & aliorum Officialium illos cogere ad reddendam rationem administrationis eisque pro culpa punire: non tamen impedire futurum Episcopum, quando ex hoc decreto ab eisdem exigat rationem actionum, quas sede vacante egerint, & eos punire, etiam si à Capitulo fuerint absoluti.*

F f f f 3

Quoad

76. Quoad punitionem autem Vicarii, in Officio suo deliquisse deprehensi, interest, quò modò deliquerit; cum, si delinquendò offenderit jurisdictionem Metropolitanam, v.g. appellationi ad eum legitime interposita non deferendò, vel ejus inhibitionem spernendò, in eum censurà Ecclesiasticà procedere valeat ipse Metropolitanus, arg. c. 1. de Offic. Vicar. in 6. junctò c. Romana 3. pr. de Appellat. in 6. Si verò in Officio & contra justitiam deliquerit, in partium corà eo litigantium alterius præjudicium aliquid decernendò, cognitio & coërcitio pertinet ad ipsum Episcopum, ex decreto cap. 16. cit. in illum procedere valentem remota appellatione, arg. §. Nulli quoque post can. Ei qui 2. q. 6. desumpti ex l. Nulli 3. C. Quorum appellat. non recipi. Lotter. Lib. 1. de Re benef. q. 22. n. 100. & Barbosa cit. alleg. 54. n. 184. Occasione jam resoluti,
77. Dubium duodecimum movetur, an Capitulum sede vacante ab Episcopi mortui vel translati Vicario generali exigere valeat officii gesti rationes; id enim affirmant & Rotæ decisione firmant Pavinus p. 2. q. 8. Sbroz. Lib. 3. de Offic. Vicar. q. 2. & Diana cit. tract. 4. resol. 53. partim; quia officii & administrationis gesta rationes exigere actus est Episcopalis jurisdictionis, sede vacante residentis penes Capitulum; ut hoc in delinquentes non solum ad instantiam, sed etiam ex officio procedere valeat: partim verò; quia commune omnibus administratoribus est; quòd finita administratione ad istius & officii sui rationes reddendas valeant compelli, l. Si quis 2. V. Et sanè ff. de Negot. gesti. C. l. 1. §. 3. ff. de Tutela rat. distrah. & non appareat ratio ab illis reddendis eximendi Vicarium Episcopi defuncti generalem.

Sed meliùs à rationibus vacante de Capitulo reddendis hunc eximium Statuta Directi. p. 1. cap. 13. à n. 7. cit. Barbosa alleg. 52. n. 183. Fermosin. q. 11. à n. 8. & alii, præcipuè nixi Religio pto Gregorii XIII. Tarentinis factò capitulo Piscatoris redditò die 1. Maii 1591. quò dictus Papa Statuimus, inquit, & mandamus, quòd Vicarii & Officiales, sive generales sive particulares civitatis Tarentini per Archiepiscopum sive ejus successores in Ecclesia vel diocesi deputati vel deputandi ad Syndicatum, sive rationes Capitulo reddendas, nullò modo veniantur, aut sub quovis respectu obtinere possint. Quod Apostolicum receptum, cum non tatur speciali jure Ecclesiæ Tarentinæ, pro communis Juris declaratorio & specialis privilegio vel consuetudine selectis in aliisque Ecclesiis observando habent DD. cit.

Quare, sicut ad non paucos alios, sic etiam ad gesti Officii sui rationes Episcopali Vicario exigendarum actus, non potrigitur penes Capitulum residens jurisdictionis Episcopalis; illiusque syndicandi & si in officii rationibus actus deliquisse & justitiam non relictam ministrasse comperiat, puniendi facultas reservata est Episcopi mortui vel translati successoribus.

Neque pro Capitulo generaliter incit à Diana cit. Resol. 53. in fine allegata Rotæ decisio; quia hanc in speciali curatæ Ecclesiæ consuetudine fundatam, Fermosin q. cit. n. 13. observat.

